

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

Wersja sandomierska

Rękopis Archiwum Archidiecezjalnego w Gnieźnie, sygn. 104, k. 117–118v

Odczyt: Maciej Mikuła, *Prawo miejskie magdeburskie (Ius municipale Magdeburgense) w Polsce XIV – pocz. XVI w. Studium o ewolucji i adaptacji prawa*, Kraków 2018, s. 349–350

Artykuł 111

[111] De Imperio.

Nunc dicetur quamdiu {quamdiu} steterit Imperium {steterit} in potencia. Potencialiter absque permutacione usque Greciam a tempore Darii Secundi, aut ultimi, quem rex Allexander maximis ac sediciosis devicit bellis. Tunc transmutatum fuit imperium a Babilonia et stetit in Constantinopolim /s/ usque ad illud tempus, quod /s/ se Roma de Imperio intromisit, et po[li]tencialiter obtinuit usque ad presens tempus ex parte beati Petri, qui caput est Cristianitatis. Cum Imperium Romam versum fuisse, ibi stetit, ut patet in premissis. Tunc Christiani absque iure fuerint, idcirco quivis pro sua in terris faciebat voluntate, aut quid facere poterat aut perficere, et hoc absque querela permanxit et per iudicium inultum, quia nullum fuit ius, ubi quis iudicium consequi posset, et usque ad illud tempus perseveravit, quo se Roma de imperio intromisit. Et ipsi ibi venerunt et iusticiam consecuti fuerunt, et ibi exhibuerunt manus, [k. 117v] unde manupacem optimuimus usque in presens. Tunc Romani convenerunt et decreverunt deliberando, quomodo regna sibi subiugare possent. Et omnes unanimi consensu et pari consilio concordaverunt, quod edificant castra in terris, unde terras sibi subiugare possent. Et cum hoc fecissent, tunc arbitrati sunt, quomodo castra confortarent, ut ipsis esset in iuvamen. Et illos acceperunt, qui nomen militale habuerunt, et eos super castra locaverunt cum tali iure, ut hucusque ius castrense tenet in castrensi feodo. Extunc delibe[li]raverunt, qualis statuta iuris terris constituere vellent, et terris tale ius constituerunt, quale adhuc terra Saksonie protestatur, per imperatorem Constantimum et per imperatorem Carolum. Nunc audire et intelligere potestis pro principibus ac baronibus, et hiis omnibus, qui nomen militale digne sortiuntur, quomodo ipsi cum Romanis sint arbitrati, quod scire vellent, quo iure Imperium deberet permanere. Et statuerint regi ius cum consilio, quod ipse sedem regiam Rome regere debeat ex parte beati Petri cum gladio temporali, unde adhuc advocatus Romanus appellatur. Idcirco [k. 118] vitam demereri non potest, nec in suo honore debilitari, nisi tribus de causis, que patebunt in sequentibus. Quorum primum est, si sedem Romanam destruere vellet. Secundum est, si contra fidem faceret Catholicam. Tercium, si legittimam sine reali causa dimitteret uxorem. Quorum horum trium, [si] de uno, quod absit, convictus fuerit, extunc deberet iudicari, caput sibi deberet amputari cum aureo dolabro, propterea quia ipse est rector gladii temporalis, cum quo habet iudicare omnes hos, qui noxam

fecerint, aut qui caput demerentur. Et insuper omnibus commisit, qui iu/[J]dicis nomine censemur, cum eo protegere viduas et pubillos /s/, et domos Dei, et omnes iniurias humiliare et iusticias confortare. Insuper iudicium commisit omnibus iudicibus temporalibus, sive secularibus, cum eo iudicare super omnes hos, qui in maleficiis deprehensi fuerint in facto manifesto, ad iudicium deducti et convicti fuerint, ut ius dictaverit. Ibi omnes iudices soli iudicare debent, vel preco ipsorum loco. Eodem modo ut iudices temporalem gladium habent a rege. Eodem modo sacerdotes spiritualem gladium habent ab Apostolico. Nunc [k. 118v] attendatis, quis imperatorem iudicare debeat, si ex hiis tribus premissis in aliquo convictus fuerit. Hoc facere debet Sacri Impereii /s/ Renensis palatinus, qui imperatori ac Imperio ex arbitrio positus fuerat. Simili modo, ut palatinus imperatorem debet iudicare, eodem modo iudicet burgravius marchionem pro suo excessu, et scultetus burgravium.

[hasła: Grecja, Dariusz II, Konstantynopol, Aleksander Wielki, cesarstwo, św. Piotr, Cesarstwo Rzymskie, chrześcijaństwo, Chrześcijanin, sąd, Rzym, rzymianin, zamek, zgoda, rada, prawo, Saksonia, Konstantyn Wielki, Karol Wielki, książę, baron, miecz, katolik, wdowa, sprawiedliwość, gorący uczynek, palatyn reński, marchia, burgravia, sołtys, cesarz, lenno]